

Letter 162: 24 June 1523, Augsburg, Urbanus Rhegius to Capito

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki.Ar. 25a, 26.

Urbanus Regius Vuolfgango Fabricio Capitoni Christum propicium.

Eo die qui Ioanni Baptistae sacer est, praeceptor charissime, ostendit mihi literas tuas patronus meus Bernardus Adelman; cumque legissem res tuas parum tranquillas ob Romae perfidiam, indolui sane, verum Roma sibi similis virtutes fastidit, scelera amplissimis praemiis adobruit. Quis lixa, modo rem stabulariam probe calleat, a curia abivit unquam sine munere? At doctorum hominum ratio nulla habetur. Scio autem te, pro gratia tibi largiter data, forti animo quaecunque adversa laturum. In calce literarum scire cupis ubinam gentium Urb. Regius degat. Rem omnem habe: ante diem Georgii animi gratia Augustam profectus sum, ubi studiis meis nemo non favet praeter sacrificos quosdam, alva ventris. Eramque plane ignarus technarum quas apud principem Ferdinandum in me Episcopus Tridentinus paraverat. Post aliquot septimanas, cum iam redire Hallam institutissem, senatus Hallanus literis monuit ne veniam, Ferdinandum adeo grassari in evangelii praedicatorum ut non satis tuti sint quos tutissimos esse oportebat. Quid facerem? Protinus Latinam apologiam scribo ad principem, quam Hallani obtulerunt, sed nondum respondit princeps. Interim Augustae apud amicos ago, nuper rogatus a senatu aliquoties declamavi. Hallani nihil non tentant quo me tutum sanumque ad cathedram meum reducant, strenue Episcopo apud ducem obnituntur. Mea omnia apud episcopos defensurus eram, sed non admitto. Eandem cantilenam omnes cantant, Lutherus est, Lutherus est hereticus. Nullas scripturas admittunt – vide quam potens sit rex facierum alienis viribus. Ego letus et paratus in omnem fortunam, hoc unum peto ut Dominus mihi intellectum det iuxta eloquium suum in tanta rerum omnium confusione; atque in tam horribili malorum tempestate unicum perfugium verusque portus est sancta scriptura. Hac una animum meum iugi lectione ad casus omnes perferendos communitio. Te autem per Christum rogo ne unquam ad aulam redeas, nisi velis periculo praesentissimo te committere. Non patitur aula veritatem, ubi [gr.] kolakia kai diabole regnant in aulis. Mihi autem animus tuus candidus et fucorum impaciens probe cognitus est; non dissimulares semper quemadmodum solent qui in purpura sunt educati. Mi Wolphgangi optime, quam gaudeo me hoc seculo natum esse. Periculosa quidem tempora sunt quae apostolus velut digito monstravit; at ne me secum hic malorum cataclysmus abripiat, in arca Scripturae confugi. Christus nos ad finem usque fortes et perseverantes provehat. Amen. Vale ex Augusta ipso die Ioannis Baptistae anno MDXXIII.